

divinae leguntur, hoc honorantur parentes. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi non prosit loqui. Sapiens ut loquatur, multa prius considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est ergo et tacendi et loquendi modus: est etiam in factis modus. Pulchrum est igitur tenere mensuram officii.

OFFICIUM OMNE, AUT MEDIUM, AUT PERFECTUM ESSE.

Officium autem omne, aut medium, aut perfectum est, quod aequae scripturarum auctoritate probare possumus. Habemus etenim in evangelio dixisse Dominum: Si vis in vitam aeternam venire, serva mandata. Dixit ille: quae? Jesus autem dixit illi: non homicidium facies, non adult-rabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem et matrem, et diliges proximum tuum sicut te ipsum. Haec sunt media officia, quibus aliquid deest. Denique dicit illi adolescens: Omnia haec custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende bona tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me. Et supra habes scriptum, ubi diligendos inimicos, et orandum dicit pro calumniantibus et persecutibus nos et benedicere maledicentibus. Hoc nos facere debemus, si volumus perfecti esse, sicut Pater noster, qui in coelo est, qui super bonos et malos solem suum jubet radios suos effundere, et pluvia et rore terras universorum sine ulla discretionem pinguescere. Hoc est igitur perfectum officium, quod *κατόρθωμα* dixerunt Graeci, quo corriguntur omnia, quae aliquos potuerunt lapsus habere. Bona etiam misericordia, quae et ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat christianam animam, quam misericordia. Primum in pauperes, ut communes iudices partus naturae, quae omnibus ad usum generat fructus terrarum: ut quod habes, largiaris pauperi,